

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**De historiae Iesu tenendae tradendaeque necessitate ac
modo**

**Fickelschers Erben und Stranckmann Fickelschers Erben und
Stranckmann**

Ienae, MDCCLXXXIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9889

46

SACRA NATALITIA
IESV CHRISTI

PIE CELEBRANDA

INDICIT

ACADEMIA IENENSIS.



De historiae Iesu tenendae tradendaeque necessitate ac modo



Sectio II.

I E N A E

EX OFFIC. FEL. FICKELSCHERR. HAERED. ET STRANCKMANN

clō lo cclxxxiii.





AI T DEI GRATIA

CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS

Cum nostra aetate reperirentur, qui de historia Christi
universa exiliter sentirent existimarentque, in religione, ab-
jecta narrationum de vita Iesu simplicitate, rerum et veritatis
rati obviae, sublimitate esse utendum, institutum nobis,
CIVES, superiore anno fuit, ne ea opinio, multis artibus dif-
feminata, averteret ab hac institutionis Christianae parte ani-
mos, demonstrare, quam minime consentaneum sit vel con-
silio scripturae sacrae et religionis nostrae vel pietati hominis
Christianae, negligere atque proscribere traditiones de vita
et rebus gestis servatoris, quae perspicuam et insignem ha-
beant cum virtute et fide coniunctionem. Sed in ea commen-
datione historiae Christi iusta et legitima facile praevidemus,
admoniti tum communi hominum imbecillitate et perversitate,
quae in causa etiam iustissima usque legitimo raro modum
tenet nimiumque vel cum desipientia utendo rebus concessis
peccat,



~~_____~~

peccat, tum exemplis multorum, qui historiis adhaerescendo veritatem deterunt et religioni ipsi nocent, atque iis traditionibus vel nimis vel minus apte utuntur, his igitur periculis admoniti praevidemus, opus esse definitione modi, quo historiae Christi sive dignitas aestimanda sive usus regendus nobis videretur. Hac igitur definitione certa et brevi speramus tum ab inani metu revocare quosdam, qui, ne rebus ipsis detrahatur historiae auctoritate atque commemoratione publica, coeperunt vereri, tum confirmare superioris dissertationis argumentum atque ostendere utilitatem tenendae atque tradendae historiae Christi, unde necessitas eius sponte fluit: nam debemus uti iis, quae paratum et spectatum in religione Christiana usum praestant. Quae qui repudiat, qui negligit, qui autor est, ut negligantur, parum ab impietate abesse iudicandus videtur. In hac itaque definitione cum iam versamur, omnino commendamus et in deligendo ex iis historiatarum monumentis prudentiam, et post delectum in tradendis atque tractandis singulis narrationum capitibus iudicium, iustis legibus adstrictum. Quae iam sunt luculentius exponenda.

Quicumque igitur iustam et sobriam historiae Iesu diligentiam conferre student eamque commendare cupiunt, eos *primo* minime vellem uni huic argumento religionis Christianae, tanquam fidei omnis fundamento et quasi summae adhaerescere, atque existimare, exhauriri a se omnem veritatem, dummodo de vita Iesu multa accurate teneant, vel se tum maxime affectas Christi esse futuros, si eum per universum vitae iter animo sectentur, matris nomen, sedes varias ac fortunam, cruciatus, vulnerum numerum, resurrectionis diem testesque norint. Ea opinio cum fauricem habet symbolorum antiquissimorum traditionem ac, si quid iudico, auctoritatem, tum blandas quasdam conciliariculas, ignaviam et plebis gloriolam. Est enim neque ingenii magni, neque laboris, fata illustria hominis cuiusdam memoria complecti et quibus velis enarrando tradere, tum praesertim, cum rerum gestarum insolentia animum percellit atque excitat. Pue-



ros quidem cupide videmus advolare ad enarrationes historiarum, easque cum delectatione quadam audire atque in memoria repositas tenere, dum severas scientias repudiant. Similiter illi animum ad traditiones de Iesu leviter applicant, orationes eius sapientiae et virtutis plenas vix attingunt. Nempe hae diligentiam magnam veritatis gravitate requirunt, ac rerum, quas meditando assequi decet, sublimitas valde inimica est ignaviae, ad cuius amorem studiumque tantopere huius aetatis mores, ne dicam instituta, inclinaverunt. Neque tamen laboris exigui fructus non magnus speratur et obtinetur, delectatio atque applausus animorum tenellorum, qui historiis nedum fabulis innutriti dum sensus suos pulchellis descriptionibus, ornatuque verborum et picturis rerum gestarum agitari vident, dum aures et phantasiae his rebus expleri sentiunt, in summa veritatis et officiorum ignorantia ac stupore, de religione sua minime dubitant. Ac nescimus an satis digne Evangelio Christi faciant, qui nimis multum commemorant de vitae Christi conversionibus, cum interea tacent fere de consilio vitae eius et de operis ab ipso peracti praestantia omnisque veritatis ab eo traditae sanctitate et salubritate. Haec quidem vera et propria est scientia, sine qua historiarum cognitio aut nulla est aut ieiuna. Quemadmodum ego quidem rei herbariae vix satis peritum laudaverim eum, qui feminis, e quo herbae nascuntur, formam, foliorum filamenta et colorem, herbae quasi patriam nativumque coelum, denique aetatem, vel etiam insectorum, quibus infestatur, genera diversa et insidias multiplices enarrare queat, virtutem plantae et utilitatem ignoret penitus: ita nec hominis ullius, nec Iesu Christi cognitio absoluta dici possit in notitiis de genere, de nativitate, de morbis et morte, ac aliis, quae figuram potius et imaginem corporis describunt, nisi ingenii, et factorum, quibus eminuit, virtutisque vis animo capiarur. Itaque doctrina Christi primum caput cognitionis Iesu est: in hac verus est et melior Christus, quem animo excipimus, quem intueri possumus, qui vivit in nobis, quem mente et factis

factis decet referre. Quodsi quidem religionem universam tenet, quicumque historiarum capita didicerit: eecur igitur Paulus rarius historiam Christi attingit, copiosus alioquin in exponenda doctrinae puritate? eecur ipsos Evangelistas videmus memoriae orationum Christi, quam factorum, conservandae studiosos, τα γινόμενα, nativitatem, parentes, iuventutem aut praeterire omnino aut vix attingere, τα λεγόμενα summa cum diligentia exponere? eecur Deus ipse, qui rei Christianae benigne satis et sapientissime prospexit, tam multa ignorata a nobis, plurima obscura esse voluit in hoc argumento, nisi ut ab harum rerum observatione et indagatione, in quam curiosa nimis nonnullorum mens propendet, animum ad doctrinae claritatem esse convertendum admonemur atque disceremus, religionem minime memoria rerum gestarum contineri, ab his ad sublimiora aditum fieri, et fidei longe esse illustriora exercitia in speranda felicitate, quam Iesus nobis paravit, praestandaque ea, quam praescribit, obedientia, ac nobis historiarum traditionibus proponuntur, quae nisi excitent sensus pios animumque aut confirment aut efforment, otiosae videntur.

Quo magis *secunda* cautione opus erit in delectu historiarum, ne eas omnes in universum commendemus promiscue neve singulas narrationum particulas eadem fide, qua summam traditionis, necessario amplectendas esse iubeamus. Ac multiplex profecto veritatis apparatus congeri ut in sacris literis: neque tamen non Christiani, nedum theologi, dignitatem tueri aliquem existimamus, etiamsi nonnulla ignoraverit, neque de religione et pietate ac salute hominis dubitamus, cum nihil unquam audiverit de interitu mundi per ignem, de prophetarum et sacrificiorum rationibus et sim. forsan etiam contra statuerit. Quin adhortamur Evangelii doctores, ut ex his rebus seligant ad usum popularem, quae sunt cum religione coniunctiora, reliqua aut leviter attingant aut praetereant. Quod, si in dogmatis scripturae S. periculo caret laudemque meretur, multo etiam magis consentaneum est in





historia fieri. Nam *primum* in omni historia magna *auctoritatis diversitas* existit a fontibus, unde manavit traditio, a rebus ipsis, quarum fidem facit, a diligentia auctoris in enarrando: quibus rebus neglectis periculum est, ne pro veritate fabulae, incertae ac vagae narrationes pro certis et indubiis, ac in universa eventuum serie levia et minuta pro gravibus et capitalibus arripiantur. Eandem igitur diversitatem in sacris quoque literis haud dubito agnoscere. Interdum iustae adversus authenticam suspicioni locus superest v. c. narrationis de adultera Ioh. 8. de coniuge Pilati Matth. 27, 19. de apparitione Christi post resurrectionem, tradita a Marco Cap. 16, 9. sq. et Ioh. 21. Quaedam concordi Evangelistarum suffragio communiuntur: alia unius testis auctoritate nituntur, sed spectantis ac praesentis: nonnulla alieno testimonio tradita a scriptoribus sacris proferuntur. Illa igitur, quae plurimis non modo vera, sed et gravia et utilia visa sunt viris sacris, multisque testibus constant, nonne praeferenda iudicemus reliquis, quas unus tantum attingit? Alia strictim perscribuntur; eadem ab alio auctore minutatim exponuntur et uberius: denique videmus Evangelistas, in recensenda rerum gestarum summa concordēs, rursus singulis partibus earum rerum definiendis a se invicem dissidere. His igitur adhaerescere, has tanquam fidei materiam commendare, in his curiose tenendis tradendisque subtilius versari, quasi notitiis earum rerum, quas unus alterve Evangelistarum haud dubitavit silentio praeterire, nedum negligentius narrare, omnis religio fidesque et salus Christiana penderet: hoc non modo ab exemplis Apostolorum alienum est, verum etiam parum abest, quin ipsam fidem impediatur, simplicitatem Christianam, quae, quid in his scriptorum sacrorum dissidiis ut verum teneri debeat, vix extricabit, mirum in modum implicet atque ad Rabbiorum superstitionem accedat, quae, more quidem et ingenio suo, a singulis legis literis montes magnos suspendi, commenta est. Esto tamen, quod pluribus praevideo probatum iri, esto par omnium Evangelistarum traditionumque cunctarum

rum



~~124~~ 7

rum, quas composuerunt, auctoritas: constet de authentica narrationis: caverit inspirationis vis omne, leviter in re minuta errandi, periculum; ipsum tamen *auctorum sacrorum consilium* prohibet, quo minus omnes narrationes, utut verissimas ac certissimas, nostro adhuc tempore citra delectum pietati Christianae tradamus atque commendemus. Ac non me fugit, quam vagae, quam impeditae sint de scopo Evangeliorum conjecturae, quam precariae nonnullorum in hac causa hypothese, quam obscurae et incertae, si quae de editione eorum apud veteres, Irenaeum, Origenem, et Eusebium, extant, traditiones. Neque tamen dubitari potest, quin scriptores illi cogendis narrationibus de vita fatisque Iesu temporis maxime suo, non posteritati, voluerint consulere nec universitati Christianae scripta sua destinaverint. Cuius consilii vestigia minime ambigua vel in argumento, quod impietatem et errores aetatis illius graviter refellit, intelliguntur vel ex ipso auctorum testimonio. Lucas quidem in prooemio diserte monet se compilasse has traditiones ut ratas ac fide dignas, quo fraudes fabularum ab hominibus parum idoneis confictarum evitari possent a Theophilo suo ac veritas a rumore certaue traditio ab obscuris et precariis secerni. Iohannes non aliud se consilium attulisse fatetur ad scribendum, quam demonstrandae dignitatis Iesu Messianae apud eos, qui spem Messiae concepissent et alerent, Iudaeos puto et Samaritanos, ac Iohannis Baptistae ad seclas, qui huius magistri auctoritatem secuti de auctoritate Iesu dubitarent. Neque denique temere Semierus, vir perspicacissimus (in observationibus ad Townsonum de IV. Evang.) origines historiae Evangelicae repetit a cura et vigilantia Apostolorum, qua primis Evangelii doctoribus compendia traditionum paucarum sed certarum de fatis et rebus gestis servatoris nostri videntur tradidisse, qua veluti materia in hac institutionis Chr. parte tuto ac feliciter uterentur. Hoc igitur consilium rumores vagos coercuit, praecavit ac repressit fabulas, et pro *μυθολογίας θεοσοφισμενούς* simplicem et constantem veritatem exposuit atque ex uberrima rerum memorabilium materia



materia paucula tantum selegit, in quibus aut purgata a corruptelis, fabulis et accessionibus temere confictis historia proponeretur, aut inesset occasio praecedendarum adversus Iesum calumniarum, aut via pateferet ad persuasionem de auctoritate Iesu Messiana. Sed in hac causa, iusta et gravi, multa, sicut in ceteris disputationibus, κατ' ἀνθρώπων proponi atque accommodata ad Iudaeorum ingenium ac decreta de Messia, quis vero neget? Itaque qualem tum Iudaei sperabant Messiam, talem Iesum fuisse Evangelistae declarant, nec alio consilio natales eius a stirpe regia deducunt Matth. 1. et Luc. 3. ac Bethlehemo oriundum commemorant Luc. 2. Math. 2, 1. Itaque circumeisionis ritu eundem in societatem populi sacri adoptatum, atque disciplinam Iudaicam pie secutum fuisse, passim referunt, ne a Deo patrio defecisse existimaretur. Eodem consilio miraculorum, quibus editis Iesus eminuit, memoriam conservant, quo novae disciplinae ministrum non sine numine muneris sui partes explevisse constaret. Eodem consilio diligentius exempla conversationis Iesu cum Samaritanis, cum profanis hominibus colligunt, ut Christiani e Iudaeorum coetu admonerentur de amplitudine beneficii Christi et finibus veritatis Christianae ad omnes promiscue gentes proferendis. Haec igitur et similia, quorum multo obscurius videtur consilium v. c. de magis et fuga Iesu in Aegyptum, isti aetati proficua, quomodo nostra causa consignata existimemus, cum iis utendi nec necessitas aliqua, nec opportunitas adsit: nec ad iudicium de fide diversarum traditionum, quae tum circumferrentur, regendum atque facultatem genuinas a confictis discernendi; namque nugae illas et fabulas olim periisse, norunt omnes, quidam etiam dolent: nec ad redarguendas criminationes adversus Iesum, quae conticuere: nec ad tuendam veritatem de Iesu Messia, quae proprie ad spem gentis Iudaicae pertinet estque a fide et pietate nostra, cum iam longe nobiliter de Iesu sentimus, alienior: nec denique ad commonefaciendum de profanarum gentium aditu ad rem publicam Christianam, nec enim nostri, tanti beneficii participes, unquam de amplitudine

rudine imperii et voluntatis Christi dubitarunt. Sed restant, omiſſis quoque his, plurima, quae commode tractari atque ſalubri conſilio exponi poterunt. Quodſi denique in partibus inſtitutionis Apoſtolicæ iuſtae æſtimandis nemo erraverit, ſi, quanto illae ſunt *conſilio* religionis chr. coniunctiores vel ad declarandum, vel ad perſuadendum, vel ad pietatis et *Φιλανθρωπίας* ſtudia excitanda, tanto liberalius proponat: contentaneum eſt, eadem quoque via ab Apoſtoliſ monſtrata procedere in hitoriis, ex his theſauris aptiſſimam quamque materiam diligentiſſime depromere vel ad conſilium divinum in vita I. C. declarandum, vel ad animi ſenſus regendos, cunctaque pia meditatione rectoque uſu ad religionem, h. e. animi quietem et pietatem convertere.

Itaque devenimus ad alteram partem diſſertationis, quae *modum tradendae hitoriae I. C.* exponit. Sed quoniam ſacrae traditiones duabus potiſſimum partibus abſolvuntur, altera, quae conversiones vitae Ieſu, *ſavorumque* viciffitudines perſequitur, altera, quae theatrum *actionum* eius inſtruit, in quibus proprie vita cernitur: quaeſam utriusque tractandae methodus propria et commendabilis videatur, diſpiciemus. In illo quidem genere, quod origines, nativitatem fortunaeſque ſervatoris optimi deſcribit, iamque humilem et depreſſum calamitatibus ac iniuriis monſtrat, iam honore condecoratum, *primum* fas eſt veteriſſimam narrationis Evangelicae ſimplicitatem perſequi atque interpolationes et corruptelas cavere, ad quas ferax fabularum ingenium, ſemper addens alienae narrationi aliquid de ſuo, plerumque inclinatur, conſilio quidem contrario legibusque diverſis, communi tamen libidine, incommodo pari: nam et ſimplicitatis decus perit in illis ſtudiis et periculum eſt, ne, latius extenſa narratione, ingenii humani inventa traditionibus genuinis permisceantur. Nihil unquam veritati hitoriae ut inimicus ſuit coniecturis ac verborum pompis, ita amicus et accommodatius ſimplici brevitate. Abſit erga malignitas eorum, qui callide occultari plurima ad Evangeliftis calumniantur ac pleniorē nobis ſua auctoritate ſuoque ingenio excogitatam hitoriam conſingunt, atque artiſticiſſime multa intexunt, quibus quidquid divinius extat in vita Chriſti humili, id omne obſcuratur penitus ac eluditur. His artibus nuper legimus narrationes de conceptione Ieſu, de baptiſmo, de reſurrectione et ſimiles, quibus ſignificatio auctoritatis Ieſu divinae ineſt, extenuari, his involucris inventorum pravitate opinionum circumdari, hac ſpecie non bene cautos decipi, ut in Ieſu nihil niſi humanum, nedum vile et im-

B

poſto;



postore dignum restet. Sed ab horum studiis vix verendum est, ne multi corrumpantur, qui si pro studiis suis adversus religionem fabulas de Iesu legere satagunt, profecto malint eas ad Evangelistis discere, quam a novis coniectoris; si veritatis amore ducuntur, in illa simplicitate narrationis, fide dignissimae, acquiescent, nec novitatis visco capi se contra antiquitatis auctoritatem patientur. Meliori concilio alios videmus historias de Iesu studiose poetarum more tractare, figuratis uti descriptionibus pro ieiuna Evangelistarum narratione, theatra splendida construere atque in scenas vitae Iesu plurima ex ingenio ornatus causa congerere, dum vel fortunae adversitates exasperant vel, cum in beatiorum eius conditionem inciderint, eandem portentosis accessionibus amplificant, ac multa generatim confingunt, quorum ne lineas quidem et umbras apud scriptores sacros reperias. Ac hi, si faterentur, se poetarum more transformare narrationes, eam ingenii luxuriam approbare possent earum rerum arbitris, qui compositionis potius artificium, imaginum copiam et ornatum, verborum venustatem quaerunt in poeta quam rei veritatem. Rursum si copiosa oratione uterentur pro narratione concisa auctorum sacrorum, si primas quasi rerum gestarum lineas descriptas ab Evangelistis amplificarent atque ex ipsis monumentis materiam desumerent imaginum descriptionumque, possent honesti et salutaris consilii fructu sine invidia gaudere, dum narratione sua res ipsas depingunt accurate atque lectorum studiis perspicuitate consulunt. At vero libidinem nullo modo probaverim, quae temere confingit, nec evolvit imagines rerum in scripturis obvias, sed adventitiis coloribus et alienis adiunctionibus deformat. Itaque, ut exemplo utar, non modo tenuem sortem Iesu recens nati depingunt, sed copiose describunt lineamenta infantis, vagitum, stabuli tenebras et alia, quae delicatulas mentes facile adficiunt. Similiter in *δοξασμῶ* Christi Matth. 18. vultus nitorem, vestes nive candidiores et nescio quod formae Christi immutatae monstrum pulchellis verbis exornant. Sed hi sunt *ἄνθρωποι ἐσσοφισμένοι*, rei et veritatis in magna specie verborum inanissimi, quos Petrus negat se esse sectatum 2 Ep. 1. 14. iubetque exemplo suo repudiare cum autoribus suis. Egone vero eos fictores digne, ut putant et iactant, de historia Iesu sentire, eosne, quod sperant, bene mereri dicam? Minime quidem, quemquam videam, populum, non modo quem vulgo appellamus, sed etiam alium, qui se illo loco censeret non vult, his rebus adhaerescere, his delectari, haec admirari: qui profecto rerum corporearum et sensibilibus imagines inanes captando deluditur, atque effusus in phantasiae spectacula integram et puram veritatem ex oculis amittit. Equidem omnium maxime laudaverim simplicitatem Evangelicam, quae non opus habet alieno cultu nec fabulis, ut placeat, animosque ipsa sublimitate rerum in oratione tenui

tenui ferit, servatque perspicuitatem at docendum et intelligendum, atque per eam virtutem indubio veritatis, quae maxime spectari debet, figillo communitur. Pietas Christiana non tantum admiratione rerum insolitarum exercetur, neque haec praecipue, sed materiam quaerit in historiis solatii virtutisque, quae se non facile insinuaverint in mentem, in lusus ingenii defixam: pauci enim, cum multi ludant in re seria, a lusbis ad rem seriam animum convertere volunt, vel etiam possunt.

Quanto igitur fatius est abstinere a coniecturis in narratione simplici et certa, ac in iis acquiescere, quorum de veritate constat. Sed in his quoque traditionibus supra diximus, delectum esse faciendum pro narrationis concilio. Quod si Iudaeos spectat, si fata Messiae exponit accommodate ad interpretationem V. T. Iudaicam spemque ex his locis conceptam, rei gestae memoria nostri facile carebunt. Obviam autem atque uberrimam *fidei ac pietatis et spei* materiam reperiet bonus quisque in religuis vitae Iesu capitibus, dummodo iuste quaesiverit. Ac fidei nutrimenta vix deerunt, cum expendamus, quam frequens, quam luculenta sit, quam solemnis significatio amoris in Iesum divini, quam perspicua admonitio de praerogativa honoris et majestatis, qua Christus ornari debuit. Cui non origines Iesu, nativitatis solemnitas, inauguratio per baptismum, miraculorum vis, phaenomena sub mortis tempus, resurrectionis triumphus atque tot de adversariorum malignitate victoriae declarant, hunc non esse ex communi genere hominem, sed praestantem virtute, sed gravissimo consilio viventem, eorum probatumque Deo, adiutorio atque auctoritate numinis instructum? In reliquis vitae Iesu conversionibus existimemus scholam nobis verae sapientiae et pietatis patefactam esse, in humilitate, in paupertate, in calumniis toleratis, in universo miseriarum externarum afflictionumque ad mortem usque comitatu; non modo exemplo praestantissimo, quod tolerare adversitates, nihil arrogare, Deo acquiescere, ac felicitate interna frui docet atque ad id incitat, sed etiam ipso harum rerum intuitu et meditatione pia, quae nobis persuadere possint, aerumnas non esse ex genere malorum: errare, qui favoris divini fructum in lautioribus fortunis quaerant: internae felicitatis Deum participes nos reddere velle per Iesum, qui et ipse ad spectabilibus bonis lubenter caruit; non semper vincere vim veritatis; probissimum quemque et officiorum studiosissimum non effugere contumelias, insidias, iniurias hominum improborum, sed ipsa probitate hos offendere eorumque iras excitare et s. p. Haec atque similia decreta quis non in schola vitae Iesu didicerit? Ac nonne tum demum historiam recte tenemus, si eam vitae magistram habeamus? Nec denique spei Christianae et solatii nutrimenta ex his factorum Christi conversionibus non decerpit homo pius et religiosus. Ac in genere nostrorum cum Iesu fa-

torum

torum similitudo et aerumnarum societas quantum erigit animos! quam vim habet persuasio, nostri similem fuisse Iesum, eum haud ignarum malorum didicisse miseris succurrere, nos ipsa humilitate eius imaginem referre! Nec obscurum esse potest in vita Iesu, quomodo ipsum numen Iesum semper praemuiverit beneficiis ad novas et atrociores calamitates subeundas; unde iustam spem auxilii idivini concipimus. Deinde praemia fidei amplissima Servatori nostro decreta, Paulus intueri iubet, ut admoneremur, quem constantia pietatis sit exitum habitura Ebr. 12, 1. Haec et similia qui monstraverit, hos sensus qui excitaverit et aluerit per historiam Iesu, nae is maxime ornavit narrationes Evangelistarum effecitque, ut non rerum sola memoria conservaretur nec tantum rerum varietas, quae sua natura suavis est, comtaque oratio oblectet, sed vim habeat ad vitam regendam monendamque, utque intelligatur, hac ipsa historia felicitati nostrae consuli.

Augustius autem theatrum construitur in historiae parte ea, quae Iesum *agentem* describit ac qualis fuerit, qua indole, qua vi, quo anime instructus, ipsis factis demonstrat: quam quo modo intueri, quibus legibus subtiliter tractare consentaneum sit, quoniam rem gravem volumus obiter et paucis observationibus attingere, alio quidem tempore, si Deo visum fuerit, uberius exponemus.

Ad hanc, quam diximus, fidei ac virtutis exercitationem ut ceteram historiam, ita etiam ipsam nativitatem Christi, in memoriam revocare, et jucundum est et dignum Vestra, CIVES CARISSIMI, sapientia vestrisque studiis. Agite igitur, ut et privata meditatione hunc fructum capiat, et publice commonstretis praesentia Vestra in coetibus sacris, caram Vobis esse sensuum Christianorum nutriendorum occasionem; liberalitate, caros historiae sacrae interpretes, denique modestiae et tranquillitatis exemplo, caros qui religionem profitentur,

P. P. Die nativitatis Christi, A, S, R, MDCCLXXXIV,

(L. S.)



DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

C I V I B V S



Clarorum virorum vitam enarrare quicumque aggressi sunt, duplicem fere modum servarunt in delectu earum rerum, quas dignas commemoratione ac laude cense-
rent. Ac alii vitae decursum et vicissitudines describen-
do, ad laudandam personam recensent patriam, genus, nomen; fortunarum sive adversitates sive commoda amplificant verbis et quid homini acciderit, qua conditione, quibus muneribus et honoribus vixerit, quibus infortuniis, quamdiu conflictatus fuerit, quem denique exitum et fatorem et vitae habuerit, studiose depingunt: alii autem facta moresque viri illustris tradere posteris, ingenium eius describere, bona animi laudare, si non unicam, praecipuam saltem, esse laudatoris virtutem existimant atque tali narratione
tum